(2

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

FEBRIUM CONTAGIOSARUM
NATURA ET CURATIONE.

AUCTORE BENJAMINO THOMSON.

PROŒMIUM.

Febres continuas, quae in Insulâ nostrâ observantur, hac dissertatione generatim respicere in animo erat. Sed me ultra limites Dissertationis inauguralis solitos longè vagâsse compertus, de novo modulari, et multa rescindere coactus sum. Itaque selectionem feci; et nunc, pauca de contagione, et de febrium contagiosarum naturâ, et therapeiâ dicere, mihi solummodò propono.

Opusculum hocce duas complectitur partes: primam, theoreticam; secundam, practicam. In parte theoretica, opiniones meas a rebus factis diducere conatus sum, et partem practicam saepe in auxilium vocavi; sed in parte practica vix semel ad speculationem ullam respexi, persuasus theoriam omnem, in febris tractatione, multo plus mali quam boni semper attulisse; et argumenta mea e Libro Naturae et observatione clinicâ omninò collegi.

A

[1822]



DE CONTAGIONE.

Contagio, effluvium tam subtile, ut omninò e sensibus nostris sese derobeat, nec arte humana detegi possit, et hinc effectibus suis solummodo cognitum, e corporibus febricitantibus plerumque exhalari videtur; sed originem primam ab exhalationum animalium, diu in loco eodem retentorum, decompositione ducere putatur.

Contagionem, a cujus operatione febres continuae in hac Insulâ oriuntur, unam et eandem naturam habere, et morbi speciem, de aegri habitu, therapeiae modo, &c. omninò pendere, rati sunt haud pauci. Sed quanquam res certa sit, febrem, ad typhum sub initio evidenter proclivam, vix aut ne vix quidem, si benè tractatur, debilitatis putredinisque signa ad typhum propria unquam ostensuram esse; tamen, an Synochus et Typhus, unus idemque morbus sint, et si contagiones, quae illas inducunt, eandem compositionem specificam habeant, dubito. Nam, quanquam a priore verisimile sit, materiam morbiferam corpori applicatam, febrem Synochum, quum constitutio bona, et vires ad morbum resistendum sufficiant, sed typhum, quum corporis habitus minùs sanus, et debilis sit, nec vires contra morbum reagere possint, inducturam esse; et quanquam in hujus

opinionis confirmatione, febris, quum ad Bacchum addictos aggreditur, naturam typhoideam, et putredinis signa ostendere plerumque observatur: vel si febris contagiosa, hominem, vitâ regulari, sed constitutione aliquo modo labefactâ, aggreditur, debilitatis indicia plerumque assumit. Tamen in contrarium; homines multi constitutionis bonae et validissimae, a febre typho, quae celeriter debilitatis, et putredinis signa assumpsit, corripi observati sunt. Praeterea Typhus indiès epidemica in populum grassari, et omnia hominum genera aggredi observatur.

His rebus utrinque perpensis, mihi fert animus credere, miasmata vel effluvia contagiosa, quae typhum et synochum producunt, naturam specificam diversam habere, vel saltem contagionem gradibus virulentiae diversis praeditam esse; sed tamen actionem illorum non tantùm oppositam, quin quod ad aegri habitum et corporis vires, &c. rebus aliter atque aliter se habentibus, contagionis applicationem, quae typhum saepissimè inducit, aliquando synochum excitare posse, et vice versâ.

Sic, quando typhus epidemica vagatur, omnes qui causis praedisponentibus, veluti victui pravo parcoque, frigori, coelo humido, aliisque causis debilitantibus, paritèr obnoxii fuêre, et etiam multi qui firmâ valetudine gaudent, propter contagionis virulentiam, a typho corripiuntur; sed paulò

pòst, quum res ad vitam necessariae pleniùs distribuuntur, hominum vires ad contagionem resistendam melius valere incipiunt, et hinc morbus speciem minùs malignam paulatim induit. Sed fortè etiam, contagio, in corpora sana inter agendum, virulentiam suam gradatim amittit. Hinc causae concurrant utræque, ad morbum mitiorem reddendum, et febrem epidemicam tempore justo arcendam.

Hoc modo febris in Hiberniâ nuper epidemica, longam post durationem, terminâsse videtur. Morbus in frequentiâ et virulentiâ diminuere coepit, et finem versus, multi a morbo febrili tam miti, ut non semper ad cubiculum cohiberentur, et demùm sine auxilio medico convalescerent, corripi observati sunt.

Hinc verisimile est, contagionis varietates diversas existere, quae in virulentiâ multùm discrepant. Tamen conclusio haecce a multis negatur, nec ipse illam tueri valde solicitus sum ; nam ultrà quòd, quò malignior febris est, tantò cautiores et magis circumspectos aegri amicos esse oportet, parum aut nihil practicum monet. Nam, quum ad lectum aegri ventum est, saepe impossibile est pronunciare an febris typhus vel synochus dicatur ; et quoniam die nostra, medici non nomini sed symptomatibus morbi praescribunt, parum interest cui appellationi idem optimè respondeat. Itaque, quum, paginis sequentibus, ex-

pressionibus, typho, et synocho, brevitatis causâ uter, febrem plùs minúsve malignam solummodò designare vellem, sine speculatione ulla an morbi naturâ diversi sint, vel tantùm in gradu discrepent.

Sed qui sit contagionis modus agendi? In atra caligine mersus videtur. Nonnulli, velut Brown, Darwin, &c. contagionem stimulum potentem esse putârunt. Sed in febribus contagiosis, stimuli fortioris applicati signa raro observantur. Et si, ut ratus est Darwin, contagio, velut fulgur, vel electricitas, per violentiam suam corpus instantèr exhauriret; certè aeger, statim post contagionem receptam, commotionem subitam evidentemque sentiret: quod, ut omnibus notum est, perrarò accidere observatur.

Et contagionem viribus suis rectà sedantibus agere, rati sunt haud pauci nec nominis parvi.

Sed, quomodò materia ulla vires tantas in genus nervosum possidens tam diu in corpore lateret, quam indiès dormire observatur contagio, concipere non possum. Si debilitas febris causa sola fuisset, certè tonica et medicamenta leniter stimulantia maximè profutura essent, quod in veritate minimè tenet. Etiam, in multis morbis aliis debilitas summa saepè adest; et post febrium crisin virium depressio major quam antea plerumque observatur; quae omnia nos febrem e debilitate solâ pendere credere vetant.

Hinc, contagionis effectus nec viribus suis excitantibus nec sedantibus pendere videntur. Sed illam in parte corporis aliquâ actionem morbidam specificam inducere facultatem habere, credere feror, ut in capite sequente ampliùs illustrabitur.

DE CAUSA FEBRIUM CONTAGIOSARUM PROXIMA.

De causâ febrium proximâ, multùm speculati sunt et disputavêre medici. Nuper theoriae Culleni, Brown, Darwin, et harum modificationes plurimae recentiores multùm jactatae sunt. Sed tandem medici fatere videntur, se febrium naturam haud benè cognoscere.

Auctores plerique causam proximam febrium omnium, propriè sic dictarum, eandem esse putârunt; sed quoniam res certa sit, causas remotas varias, et indiciorum multa omnino opposita esse; verisimile est, causam proximam, in febrium generibus diversis, etiam discrepare.

Nausea, vomitus, appetitus cibo imminutus, vel prorsùs interruptus, lingua sordida, et dejectiones crudae, indigestaeque, ad febris contagiosae accessum plerumque observandi, affectionem in primis viis indicare videntur: sed quoniam, a consensu inter organa corporis pleraque intimo, haec symp-

tomata modis diversis explanari possunt, ad hos quam brevissimè respiciendum juvabit.

1. Si in cerebro febris sedem haberet, necesse est, illud, vel rectà per genus nervosum, vel a contagione absorptâ et in sanguinem delatâ, affici. Sed si res ita se haberet, verisimile est, effectum post contagionem applicatam repentinum fore; nam odores et causae aliae, quae cerebrum afficiunt, velut medicamenta sedantia, stimulantia, venena aliqua, vel gas diversa ad pulmones applicata, sive per absorptionem, sive in genus nervosum directè agunt, effectus suos brevi post applicationem ostendere cognoscuntur. Hinc intelligere non possum, quomodo contagio, quae viribus tantis praedita est, si in cerebro actionem directam haberet, tam diu in sanguine lateret, vel generi nervoso innoxia foret, quàm indies inter applicationem et effectus suos morbidos intercedere observatur. Etiam phaenomena quaedam, et remediorum effectus theoriâ diversâ meliùs explanantur.

2. Spasmum cutaneum febris contagiosae causam esse vero absimile est; nam praeter alia, cutis ab initio haud rarò humida, mollis, laxa et naturalis observatur; et saepe sudor, arte productus, nullum auxilium affert.

3. Materiam morbidam, in sanguinem absorptam, et generi toto nervoso irritantem, febris causam esse non verisimile est; nam morbi cursus

saepe abrumpitur modis, quos sanguinem totum purgare posse credere ineptum foret.

4. Cordis mobilitati, et contractionum velocitati, adauctis, febris causam referunt nonnulli; sed, praeter alia, pulsum praeter naturam tardum in febribus contagiosis, hac hyeme, in nosocomio, aliquoties testati sumus.

5. Multis persuasum est febrem in inflammatione generali consistere; sed idea paululùm vaga esse videtur, nec sectionibus cadaverum confirmationem accipit; et paginis sequentibus, ex remediorum effectibus hujus opinionis refutatio amplior colligi potest.

6. Alii febris causam explicant, dicentes circulationis aequilibrium subversum esse; sed dictio haecce parùm definita mihi videtur, et potiùs subterfugium esse, quo ignorantiam nostram celare volumus; tamen si solummodò exprimere vult, actionem et hinc circulationem in aliquibus organis internis turbatam esse, hoc minimè negabo.

7. Libram inter genus nervosum et genus sanguiferum turbatam esse, et genus nervosum in casibus nonnullis a sanguinis copiâ et irritatione opprimi, vel nimis stimulari, vix dubito; sed hocce morbi effectum potiùs quam causam, et etiam effectum huncce minimè constantem esse, credo; saltem conclusionem a theoriâ hacce orientem, viz. sanguinis missionem, onus vel irritationem a genere nervoso detrahendo, in exemplis

plerisque si non omnibus necessariam vel saltem utilem esse, factis sub ratione medendi narratis fretus, strenuè resisterem. Etiamque in stadio primo morbus saepe fugatur remediis, quae libram hancce restituere posse absimile est.

Sed febrem contagiosam sedem in primis viis primariam habere, fert animus credere. Quia ventriculi affectio symptomata alia plerumque praecedit. Quia ventriculi turbatio, quae a crapulis, aut a mero hesterno originem ducit, indiciis multis febrilibus saepe consociatur. Sed potissimùm, quia medicamenta, quae in primas vias praecipuè agunt, remedia longè utilissima sunt: nam emetica et purgantia, si initio administrentur, antequam morbus confirmatus sit, febris cursum plerumque omninò repriment, et semper levamen magnum afferent. Et praeterea, quia theoria haecce phaenomenorum diversorum explicationem optimam praebere videtur. Sed quae sit natura affectionis hujus ventriculi et intestinorum specifica, nosmet omninò ignaros fatemur. Tantùm videtur actionem aliquam morbidam a contagione induci; hujus actionis cursus a causis variis, veluti aegri constitutione, genere vitae, &c. multùm afficitur: sed citiùs tardiùs mutatio morbida intensa extensaque fit; et propter organorum associationem cum ventriculo et intestinis naturalem interruptam, a consensu cum iisdem morbido instituto, et postea a debilitate su-

perveniente, munera corporis pleraque perturbantur.

Rigores, exacerbationes, et remissiones, initio observandi, oriri videntur, quum actio satis turbata fit, ut motus organorum naturales cum ventriculo associati partim interrumpantur, et consensus morbidus adhuc non benè instituatur. Hinc, confusio, perturbatio, depressio, et actionis diminutio, reactioni turbulentae iterum succedendae. Sed quando morbus confirmatus devenit, exacerbationes et remissiones revolutionem diurnam planè sequuntur.

Cordis arteriarumque actio, ab associatione naturali interruptâ, et a consensu suo cum ventriculo, &c. afficitur. Sed quum febris naturae malignioris] sit, generis nervosi functiones, propter nexum cerebri cum ventriculo, multùm debilitantur ; quò fit ut cor vis vitalis defectum experit, actio ejus labefacta est, et sanguinem totam e ventriculis ejicere deficit ; hinc cavitates velociùs implentur, et citiùs ad contrahendum de novo stimulantur.

Respiratio multùm e statu circulationis dependet, et modo eodem afficitur ; hinc anxietas, oscitatio, suspiratio, &c.

Cutis arida et fervida, etiam a consensu cum ventriculo et intestinis, et a corporis totius perturbatione oritur. Et satis verisimile est, statum huncce, quando exisit, in constrictione spasmodica consistere.

Anorexia, nausea, vomitus, indigestio, ab affectione ventriculi et intestinorum primariâ oriuntur; quae etiam a perturbationis generalis, et organorum aliorum turbatorum reactione haud parum augetur; et effectus caloris externi, in vomitu compescendo, consensui ventriculo-cutaneo omninò attribuendi sunt.

Sitis a fervore corporis, et a fluidarum in faucibus evaporatione, vel, si calor haud multùm præter solitum intensus sit, a secretionum defectu vel ab activitate oris absorbentium auctâ, oriri videtur.

Fortassè etiam, sitis in parte pendere potest e functionibus turbatis et sensationibus molestis indè orientibus; nam, in statu naturali, saepe indiès sensationes aliquae molestae sensum sitis excitant, ut fluidae ad illas levandas hauriantur. Et quum sensus sitis ita associetur, verissimile est sensationes molestas, quae in febre oriuntur, quanquam ab ordinariis aliquid diversas, eundem etiam excitare posse, propter associationem sensûs sitis cum sensatione molestâ. In hujus speculationis confirmatione, observatur, sensum sitis, qui a potatione parùm levatur, in febribus et morbis aliis haud rarò existere.

Mutationes in urinâ et secretionibus aliis, partim a debilitate, sed praecipuè, ut mihi videtur, a glandularum consensu, et sensibilitate propriâ turbatâ, oriuntur. Hinc depositum in urinâ et

evacuationes criticas, morbi terminationis effectum, potius quam causam esse, intelligamus. Nam organa, actione morbidâ cessatâ, muneribus suis modo naturali funguntur, et hinc particula fluidorum impura in secretionibus secernuntur.

Delirium in febribus, actioni cerebri inflammatoriae et sanguinis impetui caput versùs aucto imputant nonnulli. Sed, in morbis aliis sanguis multò majori vi impellitur. Delirium saepe ab evacuationibus profusis oritur. Etiam, in febrium malignarum stadio provecto, quàm forocissimum sit delirium, si unciae sanguinis paucae ab arteriâ temporali mittantur, aeger saepe brevi post operationem ultimùm spirat. Et ipse delirium ferox, post sanguinis missionem frequentem et hirudines plurimas ad tempora applicatas, supervenire cognovi. Tamen verisimile est, quod cerebrum debilitate et atoniâ affectum, aliquando a sanguine, ut dicimus, opprimi possit, et hinc coma, stupor, caeteraque. Sed mihi videtur, quod in febre contagiosa delirium, e cerebro cum ventriculo et turbatione generali consentiente, plerumquè pendeat; quò fit, ut intellectûs munera etiam turbentur, et functiones partium cerebri diversarum inter se haud benè respondeant.

Postremò. An petechiae a fluidorum putredine, a dibilitate merâ, an a paralysi venarum extremitatum, oriuntur, multùm disputatum est. Argumenta speciosa utrinque producuntur, et lis

adhuc sub judice videtur: sed controversiam inire nolo.

DE RATIONE MEDENDI.

Omnis aevi historia monet, quàm periculosum est, in febribus tractandis, theoriae cuivis, utcunque speciosae, de naturâ earum fidere. Hinc de iis remediis quae jam in usu sunt, et quorum utilitatem experientia docet, empiricè tractamus.

Sanguinis detractio remedium est, quod nuperò multi magnoperè laudant: et, inter alia, argumentis sequentibus sententiam suam defendunt.

1. Venaesectionem tempestivam febris impetum saepe repellere, semper levamen magnum afferre, delirium, cephalalgiam, pulsus accelerationem, et symptomata alia molesta lenire, et morbum in statum tutum conducere.

2. Febrem multò minùs lethalem, post sanguinis detractionem introductam, quam antea observari.

3. Quòd rationale videtur, sanguinis missionem, excitationem placando, vis vitalis dispendium sequens minituram esse.

4. Quòd symptomata mala a sanguinis detractione oriri non observantur.

Sed quanquam, venaesectionem aliis remediis ad febrem repellendam aliquando, et ad signa mo-

lestiora levanda saepe adjuvisse nemo dubitare potest; tamen credere feror,—sanguinem longè nimis universè, et sine discrimine, a multis detrahi :—sanguinis missionem, in febrium contagiosarum exemplis plerisque, vix utilem, et saltem rarò necessariam esse :—effectus bonos a sanguinis jacturâ vix aut ne vix quidem durabiles observari, nisi medicamenta alia efficacia simul administrentur :—eventus febrium plerarumque in tempore nostro felices, non sanguinis detractioni, sed medicamentorum noxiorum derelictioni, et aliorum efficacissimorum introductioni, attribuendos esse :—et laudes auctorum de sanguinis missionis utilitate, magnâ ex parte ab hoc oriri, viz. quòd venaesectio, actione suâ in genus nervosum subitâ, saepe remissionem febris temporariam faciat, et hinc remediorum aliorum effectus permanentes sanguinis jacturae haud rarò attribuantur.

1. Quia emeticorum et purgantium administratione febres saepissimè arceri, et haud rarò medicamentis catharticis solis febrem brevi sanari testatus sum. Etiamque, a medicis fortunatissimis certior factus sum, se, in febribus sanandis, ad venaesectionem rarissimè impelli; et cephalalgias violentes, et dolores abdominis cruciantes aliis remediis ociùs cedere ipse persaepè cognovi.

2. Quòd, quanquàm venaesectionem symptomata multa levare haud rarò, sed minime semper, testatus sum, tamen effectus suos permanentes

esse, nisi remedia alia simul adhibita fuissent, nunquam observavi.

3. Quòd, febrem, quanquam pulsus praeter naturam velox et durus esset, a venaesectione asperari, sed postridiè, medicamentis catharticis brevi levari testarer. Et febrem etiam, quanquam initio haud valdè inveteratam, a sanguinis missione frequente, et hirudinum ad tempora applicatione, propè ad finem hebdomadae quintae, ante evenerit crisis, protractam cognovi. Saltem haecce opinio erat medici ipsius, quanquam sanguinis detractioni amicissimus est.

Si dicitur, quod, in febribus contagiosis, effectus mali a sanguinis jacturâ reverà non observantur. Respondeo : quòd, praeter operationis ipsius consequentias infaustas indiès observatas ; a medicis acutissimis et fide dignissimis certior fio, se aegros haud paucos febre laborantes, debilitati, ut credebant, a sanguinis jacturâ, quanquam intio detractae, quum in venaesectione multum, et remediis aliis minus fiduciae poneretur, succumbere cognovisse. Etiam, in stadio provecto, quum propter cerebri affectionem, uncias sanguinis paucas ex arteriâ temporali detraxerit medicus, operatione vix terminatâ, aeger haud raro, occulos sursùm evertens, animam expiravit.

Praeterea, quum inflammationis acutae, veluti Phrenitidis, Pneumoniae, Hepatitidis, Enteritidis, signa sanguinis detractionem copiosam et

iteratam planè postulabant, aegri vel a virium vitalium collapsu brevì succubuerunt; vel fortè, post periculum omne praeteritum aestimabatur, et aegri convalescere incipiebant, signis apoplexiae vel effusionis in cerebrum subitò correpti vitam terminabant. Quorum exempla ipse testatus sum.

Postremò. Post febres leviores, quum venaesectio fieret, convalescentiam tardam, prae in casibus similibus rapidam, quum sanguis non detraheretur, ipse saepissimè vidi. Sed hic me planè exprimere volo; si symptoma quodvis urgens sanguinis detractionem postulat, venaesectionem longè a convalescentiâ retardandâ, ad illam accelerandam maximè conferet.

Denique. Si res certa esset, debilitatem in febribus solùm ab excitatione antecedente oriri, sine dubio sanguinis missio rationalis foret. Sed hoc minimè constat; nam in typho debilitas, a causâ aliquâ ab excitatione diversâ, certissimè multùm augetur, vel excitatio haecce brevissima sit, nam sub ipsâ morbi aggressione debilitas summa persaepe adest. Etiam statum typhoideum in synochi cursu supervenientem, causam principem ab excitatione antecedente non ducere, ab hoc apparet, quòd in Synochâ excitatio multò major est, et duratione longiore, tamen debilitas sequens rarò tam extrema observatur. Hinc etiam, multò minùs in typho debilitatem ab excitatione solâ oriri credere possumus. Hinc in Synocho, quan-

quam initio, a venaesectione excitatio minui, et levamen temporarium praeberi possint; tamen, quoniam morbi causa non aufertur, symptomata usque recurrent, et si sanguis iterùm iterúmque mittatur, febre in cursu suo adhuc persistente, status debilitatis periculosus inducetur. In typho venaesectio minùs etiam quàm in Synocho indicatur, quia, quum in morbi cursu abrumpendo frustramur, virium depressionem, si febris diu persistiterit, augere conferet; nam, sànguinis jacturam reverà debilitantem esse, nisi quum symptoma aliquod morbidum occurrit, vel quum corpus a plethorâ opprimatur, nemo sanus negabit, quicquid hallucinati sunt Jackson, aliique.

Ad haec illustranda; phlegmonem extensum putemus,—in constitutione sanâ et validâ,—in habitu minus sano,—et in habitu valdè insano. In omnibus inflammationem solvere, et suppurationem, et gangraenam avertere tentamus, et sanguinis missioni plerumque fidendum est, nam remedia alia efficacia desunt. Tamen circumspectio maxima, praecipuè in constitutione insanâ, necessaria est, ne sanguinis jacturâ vires nimìs frangantur, praesertim si inflammationem solvere posse timeamus. Sed si suppuratio vel gangraena planè evitari non potest: Anne levamen temporarium, et excitationis diminutio, a venaesectione derivanda, virium vitalium dispendium a sanguinis jacturâ repensent?

Quod supra dictum est, ad Synocham, Synochum, et Typhum, evidenter referri potest; si semper in memoriâ teneatur, quòd, praeter venaesectionem, *remedia alia* periculorum expertia et plerumque *satis efficacia habeamus.*

His omnibus perspectis, sententia stat: sanguinis detractionem in febre contagiosâ raró necessariam, et aliquandò periculosam esse. Tamen, si morbi cursus remediis aliis non corripitur, cephalalgiâ adhuc persistente, a sanguinis detractione auxilium quaerere minimè recusarem: quanquam fortassè, si febris epidemica et valdè maligna sit, hirudinibus temporibus admotis, et remediis aliis mox recensendis, plerumque confiderem. Sin autem in febris cursu, pulsu adhuc firmo et pleno, aeger valdè comatosus devenit, et cerebrum a sanguine accumulatâ opprimi videatur; venaesectionem, et hirudines temporibus applicatas, plerumque tutas esse, et saepe beneficium insigne afferre, experientia docet. Sed hìc etiam remedia alia, veluti cathartica plenè administrata, frigus capiti admotum, aliquandò epispastica nuchae vel capiti applicata, plerumque sufficiunt; et si febris naturâ malignâ sit, saepè praeferenda esse judico.

Quodsi cujusvis organi vitalis inflammationis verae signa oriuntur, sanguinis detractio libera minimè omittenda est, nam indicia haecce morbo primario magis periculosa plerumque notantur. Ast via, quandoquidem inflammatio haud facilè

cedit, duo inter pericula jacet, et cavere opportet, ne Scyllam evitando in Charybdim incidamus; sed experientia sola cursum in medio regere docet.

Tamen hìc monendum est, haud omnem tussiculam cephalalgiamve ab inflammatione oriri, sed saepiùs irritationem intestinalem vel congestionem topicam indicare, quas cathartica, vel hirdunes paucae parti applicatae plerumque levabunt.

Tantum de sanguinis detractione dicere coactus sum, non quòd praejudicium minimum contra illam teneo, sed quia auxilium in exemplis haud paucis utilissimum esse credo, et vereor ne abusu suo in contemptum veniat, et genus humanum remedio excellentissimo, si justos intra limites retineatur, iterum privetur, ut patribus nostris antea accidit.

Sed unde quod tibi placet abusum vocare? Nonne aestimatio praesens sanguinis detractionis exemplum egregium theoriae falsae neglectae, et praejudicii devicti potiùs habeatur? Responsum est. Primò. Dum multi vitant vitia in contraria currunt. Secundò. Quòd, postquam medicorum animi a timore debilitatis falso liberati essent, et febrem sanguinis detractionem plerumque tolerare posse experientia probâsset; statim theorias sibi formabant, et hisce seducti depletionem jam longè ultra modum protrudunt. Hinc, quanquam omne mihi theoriam quam selegi confirmare

videtur, nam etiam venaesectionis utilitatis explicationem facilem praeberet, scilicet, actiones morbidas temperando, et effectu suo subito associationes rumpendo; tamen, in re practicâ, fiduciam nullam illi attribuo, sed ab indiciis existentibus omninò conducor, et quando reverà necessarium esse videtur, sanguinem detrahere nequaquam haesito.

Emetica tempore longo multùm usitata fuêre, sed nunc a nonnullis remedia dubia aestimantur. Tamen valdè efficacia, praesertim sub febris initio, ad morbum corripiendum vel in cursum tutum ducendum, mihi videntur. Nam in meipso, et nonnullis aliis, febrem a purgantibus tantùm labefactam, et quae post cathartici operationem terminatam semper relaberet, vomitu excitato omninò decedere cognovi. Etiam quamvis inflammationis signa adessent, si febrem morbum primarium crederem, emetica post venaesectionem administrare minimè dubitarem; nam, theoriâ omni relictâ, tuta et efficacia expertus sum. Et exempla paucis diebus sanata, quae modis ordinariis totidem hebdomadas saltem occupâssent, producere possem. Vomitum plenum excitare plerumque convenit.

Purgantia sine dubio medicamenta longe utilissima sunt. Ab initio ad morbi terminationem haud sinendum est faecibus in intestinis accumulare. Catharticum paulò alacrius primò adhiben-

dum est, sed postea alvum laxantibus mitioribus benè solutam tenere plerumque sufficiet. Sed si cathartica sub initio negligantur, et in morbi cursu symptomata mala superveniant; si purgantium effectus salutares et determinatos volumus, prorsùs necessarium est cathartica partitis vicibus et brevibus intervallis constanter administrare, donec faeces nigrae, faetidae, putridae, omnino evacuentur.

Calomelas catharticis resinosis salinisve adjutus medicamentum hujus generis optimum aestimatur; sed Olei Ricini, panaceae magnae illae, usus indiscriminatus haud parùm perniciosus mihi videtur. Nam praeter nauseam peculiarem vel potius aegrotationem diuturnam inductam, et quòd stimulum parvum intestinis praebere videtur; aegroti, faeminae praesertim, plerumque illud horrent, saepè recusant, saepiùs voment, saepissimè ex ore respuunt vomere simulantes; et hinc medici intentio planè frustratur. Equidem me cohibere non possum quin, olei ricini et enematum praescriptioni in nosocomiis tam frequenti, necessitatem sanguinis missioni confugere plerumque attribuerem; nam praeter quod suprà de oleo dictum est, aeger enemata injici saepissimè resistit; unde morbus in cursu persistere relinquitur, et vires acquirit eundo. Tamen oleum ricini, si irritatio intestinalis a purgantibus praemissis vel a causis aliis intervenerit, laxantibus aliis longè prae-

ferendum, et enemata nonnunquam apprimè necessaria esse, minimè nego.

SUDORIFICA longè latéque antea usitata sunt, sed tempore nostro plerumque negliguntur ; nam remedia saltem valde incerta fuêre, et nunc alia multò certioria cognoscuntur. Tamen cutis munera leniter promovere plerumque utile videtur.

AFFUSIO FRIGIDA remedium excellentissimum est, et manibus sagacibus morbi cursum saepissimè corripuit. Morbo provecto tutius est corpus aquâ tepidâ spargere, vel spongiâ humidâ lavare. Sed longa est singularum partium enumeratio, itaque ad illam advertisse sufficiat.

In remediis jam recensitis fiducia plerumque ponenda est ; sed quaedam alia quàm levissimè respiciemus.

TONICA, dum perstat morbus, remedia dubia sunt, sed post febrem terminatam convalescentiam saepe promovent.

STIMULANTIA, quum debilitas supervenerit vera, aliquando necessaria fiunt. Vinum optimum et usitatissimum est. Capsicum, quum ventriculi debilitas, vel signum istud lethale, abdomen tumidum tympaniticum adesset, insigne beneficium attulisse cognovi.

ANTISPASMODICA, tremores, subsultus tendinum, motus hystericos, &c. levare usitata sunt, et post alvum benè solutam, valdè efficacia haud rarò observantur.

Epispastica et rubefacientia, in dolore topico, delirio, comate, collapsu, duplici ratione adhibentur ; primâ, sanguinis determinationem divertere ; secundâ, vim vitalem excitare. Ad primam indicationem implendam vesicatoria, ad secundam rubefacientia partibus diversis, plantis pedum praesertim, applicata, optima aestimantur.

Refrigerantia et antiseptica, praesertim acida mineralia et vegetabilia, in febribus malignis multùm laudantur.

Narcotica, si persistent vigiliae, saepe utilia fiunt, sed quandoquidem inquietudinem vel anxietatem augere observantur, statim omittenda sunt.

Quodsi, in quovis febrium stadio, sordium alvinarum coacervatio adsit : tonica, stimulantia, antispasmodica, revellentia, refrigerantia, antiseptica, sedantia, hypnotica, vera et optima sunt medicamenta cathartica ; et omnia alia prorsùs inefficacia invenientur, tam diu in intestinis faeces nigrae, foetidae, putridae, accumulantur.

Hydrargyrus a nonnullis laudatur ; sed in febre nostrâ endemicâ, quandocunque gingivarum affectionem induxit, potiùs nocuisse mihi visus est. Veruntamen in exemplis nonnullis, quibus cutis flavedo typho supervenerat, Doctor Home calomelana liberaliter exhibuit, et cum exitu felici, quanquam indicium hocce semper lethale antea observâsset.

De diaeta multum dicere spatium deest. Nu-

trimentum, si aeger quicquid appetit, generis mitissimi solùm permittendum est. Aqua frigida, vel potiones aliae frigidulae, ad libitum administranda est. Calor externus evitandus, stragula levia in lecto tenenda sunt, et circulatio aëris libera per cubiculum aegri promovenda est. Tamen si aeger, ut aliquando accidit, aëra frigidum aversetur, potionesque tepidas malit, ejus desideriis consulendo rarò errabimus.

CONCLUSIO.

Nunc ad finem ventum est, et solummodò mihi restat, ut Professoribus generatim gratias agam, et particulatim illi, cui labor fuit Dissertationem hancce respicere; nam more urbano et homine scientifico dignissimo erga me gessit, et sententias meas, quanquam in omnibus consentire non potuit, edere permisit; hoc semper intellecto, quòd in Scholâ Edinburgenâ, Candidatis ipsis, et non Professoribus, sententiis suis respondere necesse est. Nec ego opinionem ab aliquo Professorum in dubium vocatam exprimere auderem; nisi quòd medici optimi et expertissimi, de natura vel etiam de curatione febris, haud omninò inter sese consentiunt; et quum res ita se habent, sua cuique sententia placet.

FINIS.